

malis, etiamsi nulla eorum adjumenta sint, tamen qualescunque vivorum consolationes sunt; duobus autem aliis ordinibus prosunt, mediocriter quidem bonis, ad hoc ut sit eis pœnæ remissio, mediocriter vero malis, ad hoc ut tolerabilior sit eorum damnatio.

DIST. XXXIX. *De ordine eorum qui judicandi sunt.*

—Erunt autem ibi quatuor ordines eorum qui judicio aderunt. Alii enim judicabuntur et peribunt, ut quibus dicitur: *Esurivi et non dedistis mihi manducare, etc.* (Matth. xxv). Alii autem non judicabuntur, et tamen peribunt, velut quibus Dominus ait: *Qui non credit, jam judicatus est* (Joan. iii). Alii judicabuntur et regnabunt, ut illi qui audient: *Esurivi et dedistis mihi manducare*; alii non judicabuntur et regnabunt, ut illi quibus Dominus ait: *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (Matth. xix). Quod non tantum ad apostolos dictum esse intelligendum est, sed ad omnes qui apostolicam perfectionem adepti, relictis omnibus, secuti sunt Christum. Judicabunt vero isti et comparatione melioris facti et potestate judicii: unde gladii ancipites in manibus eorum (Psal. cxlix), hoc est, sententia de bonis et de malis in potestate eorum. Sed quæ ibi dicenda creduntur, vocene proferantur, an tantum virtute judicis effectum accipiant, nulla auctoritate aperte definitum existit.

DIST. XL. — *De loco judicii et sententia.* — Locus autem judicii sicut super Joelem prophetam auctoritas dicit, erit in spatio hujus aeris contra

montem Oliveti (Joel. ii); unde ascendit: ubi judicabit Dominus in forma servi clarificata, apparens tam bonis quam malis. Unde Aug. (455): Cum in forma servi clarificata judicantem viderint boni et mali, tolletur impius ne videat gloriam Dei, et tunc signum crucis angeli deferent ante eum ut ipse dicit: *Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo* (Matth. xxiv).

DIST. XLI. — *De differentia mansionum in caelo et in inferno.* — Cæterum impii diversis pœnis torquentur. Pii vero in claritate cognitionis differunt, quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt (Joan. xiv). Par autem erit gaudium omnium, vel quia quisque gaudebit de bono alterius, quasi de proprio: vel quia de omni re unde gaudebit unus, omnes gaudebunt, ita ut paritas non ad intentionem gaudendi, sed ad numerum rerum de quibus gaudent, referatur.

DIST. XLII. *De visione bonorum et malorum.* — Postremo sciendum, quod sancti tradunt neque ad judicium bonos et malos se mutuo videre. Post judicium vero boni viderunt malos, sed mali non videbunt bonos. Unde Gregorius (456): Infideles in imo positi ante diem judicii: fideles in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt. Isaias etiam dicit: *Egredientur electi et videbunt cadavera vivorum, qui peccati sunt in me* (Isa. lxvi). Et Psalmista: *Lætabitur justus cum viderit vindictam* (Psal. lvii). Cujus lætitiæ nos Dominus consortes efficiat. Amen.

*Finis libri quarti Sententiarum Bandini.*

(455) Super Joan. De Trinit. lib. i, c. 16 et 17 sententialiter.

(456) Super Lucam c. 16.

ANNO DOMINI MCLXIV.

# HUGO AMBIANENSIS

## ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA.

(Gallia Christiana nova, tom. XI, col. 43).

Si credimus Orderico Vitali, lib. vii, pag. 889, Hugo non ante annum 1130 factus est archiepiscopus Rothomagensis; sed mox patebit electum fuisse vivente Honorio II papa, quod cadere debet vel in

finem anni 1128, paulo post mortem decessoris sui, vel saltem in annum 1129. Coniicit eruditus auctor Annalium Rened., tom. VI, p. 160, illi fratrem germanum fuisse celebrem illum Matthæum episcopum Albanensem; rectius probat utrumque natum esse in Laudunensi solo, litterisque operam navasse in schola Anselmi Laudunensis; ad ultimum tandem nescire se profitetur unde Hugoni cognomen *Ambianensis*, tam apud Ordericum quam apud Gaufridum Vosiensem. Ut ut est de cognominis illius origine, quam quidam inde esse deductam existimant, quod Hugo fuerit de genere comitum Ambianensium, Hugo Cluniaci primum monasticen professus, factus est an. 1115 prior Sancti Martialis Lemovicensis, deinde Sancti Pancratii in Anglia, diœce. Cicestrensensis, tum Radingensis novi monasterii abbas. In eum post obitum Gaufridi Rothomagensis archiepiscopi, ubi ad electionem ventum est, suffragia convenerunt; electio autem probata, tam ab Henrico Anglorum rege, quam ab episcopo Salesberienſi, in cuius diœcesi Radingia sita erat. Verum cum electioni acquiescere nollet Hugo, clerus Rothomagensis epistolam scripsit ad Honorium papam, ut eum ad subeundum archiepiscopatum compelleret. Eam subiicimus depromptam ex Spicilegii tom. III, p. 151: « Domino papæ universali Honorio, Rothomagensis Ecclesiæ omnem in Christo obedientiam. Elegimus electione communi filium nostram Hugonem abbatem Radingensem nobis in pontificem. Super hoc quæsimus assensum domini nostri Henrici regis Anglorum, et obtinimus. Ab episcopo quidem Salesberienſi, sub cuius manu abbas officio fungebatur, nobis eum reddi liberum et absolutum quæsimus, et cum libertate suscepimus. Sed quia, ipso revelante percepimus, quod sine auctoritatis vestræ assensu eum habere non poteramus, cum et hoc in litteris vestris prædicto regi Anglorum directis ita scriptum legimus: *Ipsum itaque sub primo jure absque dominio nostro tanquam specialem beati Petri et sanctæ Romanæ Ecclesiæ clericum retinemus; eapropter donari eum nobis a sublimitate vestra requirimus; quem tanto chariorem habebimus, quanto a vestra celsitudinis sede nobis donatum lætabimur. Quem humili supplicatione ita donari a vestra gratia quærimus, ut sub nullius unquam jure vel potestate, nisi sub vestra tantummodo pia protectione eum persistere gaudeamus, charissime pater et domine.* »

Hugo, a pontifice dimissus, consecratus est anno 1130, ex appendice Roberti de Monte, in qua hæc leguntur: « Rex Angliæ Henricus ad Nativitatem sanctæ Mariæ fuit Becci, et adduxit secum Hugonem noviter electum Rothomagensem, qui fuerat abbas Radingi, qui etiam sacratus est in festo Exaltationis sanctæ crucis, die Dominica, quem consecravit Richardus Bajocensis cum coepiscopis suis in ecclesia S. Andoeni. » Eodem anno eccle-

siam Sancti Martini Aleiensis in abbatiam Albarmarie crexit.

Anno sequenti Innocentius II Francis contra Anacletum pseudopontificem probatus, Rothomagum venit mense Maio pro pace, ut videtur, componenda inter archiepiscopum et cives; nonnihil enim jurgii inter eos tunc viguisse indicat S. Bernardus ad ipsum archiepiscopum scribens epistolam 25. Dum pontifex Rothomagi demoraretur, Hugo calculo suo comprobavit donationem centum marcharum argenti, quas Henricus rex Cluniaco contulerat in teloniis Londinensi et Lincolnensi, ad sustentationem fratrum. Eodem anno Innocentius II concilium celebravit mense Octobri apud Remos, quo et Hugo perrexit litteras Henrici Anglorum regis deferens filialis obedientiæ indices. Adfuit quoque Hugo consecrationi majoris xenodochii Sancti Joannis Bruxellensis a summo pontifice factæ, qui eodem rursus anno, pridie Nonas Octobris, in ejus gratiam confirmavit jura Ecclesiæ Rothomagensis. et scripsit ei vii Kalendas Augusti 1132, ut varia in diœcesi sua flagitia contra ecclesiasticam disciplinam coerceret. Hoc circiter anno, cum ad eundem pontificem querelas detulisset rex Angliæ, quod Hugo ducatum Normanniæ turbaret, professionem et obedientiam a quibusdam abbatibus suscipiendo, epistola, quam lege integram in Spicil. tom. II, p. 457, aut apud Pommerayum *Concil. Rothomag.* p. 133 (1), scripsit Hugoni pontifex epistolam 16, ut aliquid pro bono pacis de jure ecclesiastico regi cederet. Anno 1133 dedit, aut confirmavit archiepiscopus monachis Tironiensibus prioratum Baschevillæ, cujus ecclesiam eis dimiserant monachi Pini; qua de re chartam legis apud Pommerayum *Concil. Rothomag.*, p. 147. Adfuit eodem anno concilio Jotrensi, cujus confirmationem cum ab Innocentio II postulasset Petrus Venerabilis lib. III, epist. 17, de Hugone hæc subdit: « De cætero quam reverendæ vitæ sit, quamque fidelis apostolatus vestro dominus Rothomagensis archiepiscopus fuerit, quamque pro pace vestra laboraverit, non est necesse vos instrui, quem plene de his omnibus instructum credimus. Supplicamus igitur paternitali vestræ, ut ita paci ejus et justitiæ provideatis, quatenus et Deo possit reddere quod Dei est, et Cæsari quod Cæsaris; ut si fieri potest, et divinæ censuræ non displiceat, et majestatem regiam non offendat. » Ex quibus verbis non obscure intelligitur, fuisse adhuc tunc temporis dissidia quædam Hugonem inter et cives Rothomagenses, aut ipsum etiam Anglorum regem.

Diximus tomo I, col. 713, ipsum anno 1134 solemni ritu absolvisse Guigonem Delphinum. Adfuit eodem anno, ut apostolicæ sedis legatus, concilio apud Montem-Pessulanum celebrato, scripsitque Innocentio papæ de rebus eo in concessu gestis epistolam, quam habes tom. VI Annal. Bened., p. 666,

(1) Vel *Patrologiæ*, t. CLXXIX, col. 669.

Anno 1135 dedicavit ecclesiam Omnium Sanctorum Belencumbris. Eodem anno Richardum Glocestriæ comitis filium post longam dilationem consecravit in episcopum Bajocensem (2), et concilio Pisis habito adesse voluit. Finita autem synodo, in Italia pro rebus sedis apostolicæ juvandis demoratus est; unde « curis apostolicæ servitutis occupatus, » ait Ordericus lib. XIII, pag. 900, « curas proprii præsulatus aliquandiu intermisit, et diutius in Ausoniæ partibus demoratus, aliorum negotia solerter expedit, quod regi vehementer displicuit. » Sed adveniente eodem anno Henrici I Anglorum regis morte, similtas hæc sopita est, dum hic pie humiliterque veniam ab archiepiscopo deprecatus, absolutionem promeruit. Legenda apud Willelmum Malmesburiensem *Historiæ novellæ* lib. I. fol. 100, aut apud Pommerayum *Concil. Rothomag.* pag. 135, epistola, quam de Christiana regis hujus morte, cui ad extremum usque spiritum adhæserat, scripsit ipse Hugo Innocentio papæ (3). An. 1136 subscripsit chartæ Stephani Anglorum regis, pro fundatione monasterii canonicorum regularium Doverensis; et chartam ab eodem rege accepit *de his qui treviam Del infringebant*: charta autem illa, quam publici juris fecit Pommerayus *Concil. Rothomag.*, pag. 145, confirmabantur *omnibus episcopis Normanniæ jura omnia spiritualia et synodalia*. Sed eodem anno urbs Rothomagus repentino igne succensa est mense Septembri, ex Orderico lib. XIII, pag. 905.

Anno sequenti litem diremit Hugo inter canonicos S. Ebrulfi et monachos Moritonienzes, de jure sepulturæ oppidanorum. Exortum etiam grave dissidium inter comitem Boloniensem et Robertum Glocestriæ comitem compescuit, teste Malmesburiensi, fol. 102. Theobaldo quoque abbati Becci benedictionis munus impendit. Mortuum mare ordini Cisterciensi eodem anno 1137 ascripsit. Confirmavit anno 1138 fundationem Ardenæ dioc. Bajocensis. Eodem anno quædam largitus est Serloni abbati Sancti Luciani, et Joscelino abbati Augi. Anno 1139 alio oborto jurgio inter Angliæ episcopos et ipsum regem, rem totam *amptioribus rationibus et sermonibus agebat Hugo archiepiscopus Rothomagi, quantum ille facundia poterat, maximus regis propugnator*, inquit idem Malmesburiensis, fol. 103, contra Henricum Vintoniensem episcopum, sedis apostolicæ legatum, regisque ipsius fratrem. Certe Hugo regis partibus addictissimus erat, cujus fratrem Theobaldum, cum ille bello fusus, victus, captusque esset apud Lincolniam anno 1141, adiit *cum Normannis, ipsi regnum Angliæ et ducatum Normanniæ offerens*, ex Orderico lib. XIII, pag. 923. Eodem anno Arnulfum consecravit in episcopum Lexoviensem; sed anno 1139 Rotrodum similiter episcopum Ebroicensem consecraverat, et anno 1140 a Sugerio abbate Sancti Dionysii in Francia

A invitatus, partem basilicæ Dionysianæ inferiorem dedicaverat cum Bellovacensi, Meldensi et Silvanectensi episcopis, ut observavimus in Sugerio (*Patr. t. CLXXXVI*). Anno 1141, eo consentiente, fundati sunt apud Ulteriorem-Portum milites templarii; et ipse Beccensis monasterii privilegium Auselmo abbati a Willelmo quondam archipræsule indultum renovavit. Anno 1143 canonicis regularibus confirmavit Ecclesiam B. Mariæ de Cornevilla. Eodem anno fundationem Burgi-Achardi anno præcedenti factam sub jure et imperio priorum Falesiæ confirmavit. Sed postea cum Falesiani canonici institutum Præmonstratensium amplexi essent, canonici regulares Burgi-Achardi sui juris esse cœpere, et anno demum 1685, mense Septembri, reformationi, quæ dicitur *Friardelli* nomen dedere. In eo monasterio, quod sub nomine Sancti Laudi consecratum est, reformationis hujus superiores generales sedem suam figere consueverunt.

Anno 1144 Hugo Letardo abbati Beccensi immunitatem telonei concessit, adfuitque dedicationi basilicæ integræ Sancti Dionysii ab abbate Sugerio tandem perfectæ, et consecravit aram beatæ Mariæ. Anno 1145 ecclesiam abbatiæ Calvi-Montis apud Velocasses Sugerio abbati traditæ a rege Francorum, et in prioratum duodecim monachorum conversæ consecravit, uti diximus in Sugerio. Eodem circiter anno fundationem probavit et monialium Fontis-ebraudi apud Clarum-rivulum prope Gossemfontem, et monialium Præmonstratensium apud Bellum-Montem; quæ postremæ anno 1285 extinctæ sunt. Monachis Majoris Monasterii ecclesias aliaque confirmavit anno 1146. Dedicavit 1147, die 3 Sept., ecclesiam Cornevillæ. Eodem anno Cadomenses monachos et canonicos Bajocenses conciliavit. Adfuit 1148 concilio Remensi. Anno 1149 Rogerium benedixit in abbatem Becci. Anno 1150 sequester pacis electus est inter Philippum Bajocensem episcopum et monachos Clarevallenses. Circa id tempus 16 Fiscannensis monasterii parochias, in diocesi Rothomagensi sitas, ab omni jure episcopali absolvit. Anno 1151 adfuit concilio Balgenciensi, ubi actum est de divortio Ludovici VII regis et Leonoræ Aquitanicæ. Decimas plurium ecclesiarum confirmavit 1152, monachis Verliaci. Anno 1153, v Nonas Maii, in ecclesiam Sancti Martini Pontisarensis convenit cum Parisiensi ac Silvanectensi episcopis, ad elevandas sancti Gualterii, olim ejusdem loci piissimi abbatis, reliquias. Eodem anno ecclesiam Sancti Sidonii a longo tempore desolatam, de manu castri domini extraxit, et Rogero abbati Fontanell. ordinandam tradidit. Eodem circiter tempore gravis contentio inter monachos Fontanellæ et S. Stephani Cadomensis vigeat, de qua Joannes Tusculanus episcopus et apostolicæ sedis legatus, Hugoni scripsit, ut cum Rotrodo Ebroicensi et Gerardo Sagiensi episcopis huic dissensioni fi-

(2) *Monast. Anglic.* tom. III, p. 1012.

(3) *Patrologiæ*, tom. CLXXIX, col. 670.

dem imponeret: cujus mandatis paruisse Hugonem ex litteris, quibus transactionem initam inter utrumque monasterium confirmavit, satis constat. Anno 1154, xiv Kal. Januarii, præsens fuit coronationi Henrici II, regis Angliæ, apud Westmonasterium a Theobaldo Cantuariensi antistite peractæ. Eodem circiter anno jura et prædia Rothomagensis Ecclesiæ confirmavit Adrianus IV bulla Hugoni data, qui translationem sancti Guillelmi Firmati apud Moretonium anno 1156, in octavis Pentecostes celebravit. Tunicam Dominicam visitavit eodem anno in monasterio Argentoliensi; qua de re instrumentum confecit, quod legis apud Pommerayum *Concil. Rothom.*, pag. 149, firmavitque abbatæ Sancti Dionysii in Francia, omnes ecclesias quas illa in sua diœcesi possidebat. Confirmaverat biennio antea eidem monasterio nundinas cujuslibet feriæ sextæ apud Castrum-Novum prope Sanctum Clarum. Anno eodem 1156, Henricus II prioratum ordinis Grandimontensis fundavit in silva Roboreti, quem paulo post in vivarium suum prope Rothomagum transtulit ad sinistram fluminis Sequanæ ripam; unde locus ille nomen sumpsit beatæ Mariæ de Vivario: sed hujus mensa prioralis sub Henrico IV Franciæ et Navarræ rege collegio patrum Societatis Jesu Rothomagensi addicta est. Anno 1157 idem archipræsul confirmavit monachis Sancti Dionysii in Francia, ecclesiam Cergiæ, in quo illi prioratum instituerunt omnimodæ jurisdictioni suæ cum ipsa ecclesia obnoxium. Anno 1158 monachis S. Audoeni confirmavit ecclesiam Ros in diœcesi Bajocensi sitam, a jure episcopali liberam, et anno 1159 monachis Beatæ Mariæ de Valle, quidquid in ipsius diœcesi possidebant.

Circa id tempus jussus ab H. Anglorum rege Roberto abbati Sancti Michaelis licentiam fecit divina celebrandi in ecclesiis de Ponte-Ursonis. Anno 1160, vel, ut aliis placet, 1161, mense Julio, annuente Anglorum rege, congregatum est concilium provinciale apud Novum mercatum in Normannia, ubi omnes consenserunt Alexandro III papæ, reprobato Victore antipapa. Eodem circiter anno fundati sunt Rothomagi milites templarii eo in loco, ubi postea ædificata est domus consularis. An. 1162 Hugo confirmavit omnes possessiones abbatæ de Voto, et beneficia prioratus Montis-Leprosorum prope Rothomagum; et eodem circiter

A tempore scripsit ad regem Angliæ de institutione filii sui Henrici, ut simul et mores et litteras ab optimis pædagogis addiceret, ut colligitur ex epistola 67 Petri Blesensis. Ecclesiam de Sorenc Gerarde abbati Flaviacensi donavit anno 1163. Hugoni abbati S. Vincentii Silvanectensis confirmavit sitas in sua diœcesi ecclesias, vii Idus Maii 1164.

B Multa reliquit eruditionis suæ monumenta, quorum unum est Tractatus de rebus theologicis Matthæo Albanensi dicatus, quem lege apud Martenium, t. V *Anecd.*; alterum vero, Tractatus super hæresibus in Aremorico solo natis, Alberico Ostiensi episcopo nuncupatus, et ad calcem operum Guiberti Novigentensis editus. Scripsit etiam libros tres De memoria, et Tractatum de fide catholica et Oratione Dominica, editos apud Marten. *Ampliss. Collectionis*, tom. IX, et epistolam ad Theodericum Ambianensem episcopum de hominibus qui vice jumentorum trahebant carpenta ad ædificandas ecclesias, scriptum anno 1145, quam lege *Annalium Bened.*, tom. VI, pag. 392. Nonnullas quoque Ludovico VII regi scripsit epistolas, quas vulgavit Pommerayus *Concil. Rothomag.* pag. 139 et 142. Item alias Sugerio abbati Sancti Dionysii in Francia editas *Anecd.*, tom. I, col. 417 et seqq. Rainardo quoque abbati Cisterciensi, et comiti Tolosano, quas legis apud eundem Pommerayum, ibidem pagg. 140 et seqq. Denique duas in quibus se apostolicæ sedis legatum dicit, in appendice et *Anecd.*, tom. I, col. 380. Scripsere vero ad eum Arnulfus Lexoviensis episcopus epistol. 45, editam apud Pommerayum *Concil. Rothomag.* pag. 138, ac Petrus Venerabilis epistolam 4 libri primi et epistolam 33 libri sexti.

C Obiit meritissimus præsul tertio Idus Novemb. anno 1164, ex ejus epitaphio quod hic transcribere post Sammarthanos non pigebit:

*Inter pontifices speciali dignus honore  
Hic nostræ carnis Hugo resignat onus.  
Consignata brevi clauduntur membra sepulcro.  
Non tamen acta viri claudit uterque polus.  
Quidquid dispensat et compartitur in omnes,  
Gratia contulcrat, præstiteratque viro.  
Fecundos igitur virtutum copia fructus  
Fecit et ultra hominem ei magnificatus homo.  
Tandem post celebris felicia tempora vitæ,  
Sustulit emeritum flebilis hora semen.  
Par, Martine, tibi consorque futurus eandem  
Sortitus tecum est commoriendo diem.*

## NOTITIA ALTERA

(*Histoire littéraire de la France*, par des religieux bénédictins, t. XII, pag. 647.)

Hugues, suivant La Morlière (4), fut surnommé d'Amiens, parce qu'il était de la maison de Boves, laquelle descendait des comtes d'Amiens, *sinon en ligne directe, du moins par alliance*. Les sceaux qui nous

(4) *Antiq. d'Amiens*, p. 29.